

Qui vero facile mutat propositum, vocatur *inconstans*; si id faciat tædio diuturnitatis, vel similis incommodi, *mollis*. Est peccatum mortiferum, si tenebaris ex voto, vel præcepto, et materia sit gravis; ut cum quis deserit Institutum religiosum, etc. : si vero sit levis, veniale. Si nullo modo tenebaris, non erit peccatum mutare propositum, et relinquere primum exercitium : nisi forte id fiat ex inordinata aliqua passione; tunc enim inordinate a bono proposito desistis; ut recte Cajetanus verbo *Inconstantia* : de quo vide Gregorium homilia 3. in Ezechielem, sub finem.

LIBER TERTIUS.

DE TEMPERANTIA.

CAPUT I.

DE TEMPERANTIA, EJUSQUE PARTIBUS IN GENERE.

DUBITATIO I.

QUID SIT TEMPERANTIA, ET QUOD EJUS OFFICIUM.

D. Thom. quest. 141.

115. Temperantia, græce *σωφροσύνη*, dupliciter accipitur, ut notat D. THOMAS art. 2. in 0. 1°. Secundum amplitudinem suæ significationis, pro virtute, quæ refrænât affectum ab his, quæ ipsum contra præscriptum rationis alliciunt. *Temperantia* enim insinuat quamdam *temperiem* et moderationem, quam ratio actionibus et affectibus humanis imponit; quo modo non est virtus specialis; nam omnis virtus moralis id præstat. Justitia enim retrahit affectum a furtis, a rapinis, ab iniquis contractibus, et similibus, quæ ipsum ratione lucri ad se trahunt : fortitudo, a fuga : magnanimitas, a sectandis rebus caducis, et honoribus humanis, etc.

2°. Stricte, et *κατ' ἐξοχὴν*, pro virtute, quæ refrænât appetitum in his quæ maxime alliciunt : et sic est virtus magis specialis, et cardinalis, de qua hic agendum.

116. Hujus virtutis materia sunt delectationes corporales, non omnes, sed quæ tactu percipiuntur ex esculentis, et poculentis, et rebus venereis. Ubi notandum est ex Aristotele 3. Ethicorum c. 10. quasdam delectationes esse *spiritales*, quasdam *corporales*. *Spirituales* dicuntur quæ sequuntur operationem mentis, vel phantasie, ut sunt omnes, quæ ex contemplatione rerum divinarum, vel naturalium, vel cujusvis veritatis nascuntur : item ex honoribus, et fabularum narratione etc. Circa hujusmodi non est proprie temperantia : nemo enim dicitur temperans, aut intemperans, quod hujusmodi oblectationes moderate, vel præter modum quærat, sed vel curiosus, vel ambitiosus, vel alio nomine; improprie tamen et metaphoricè possunt dici intemperantes, qui in rebus spiritualibus sensibilem quamdam suavitatem nimium sectantur, quasi hæc sit præcipuus illius fructus; non

quod talis delectatio sit mala, vel prohibita; sed quia pluris, quam oportet, aestimatur, et solidæ virtuti præponitur.

Corporales sunt quæ capiuntur per sensus externos; sed neque circa has omnes versatur hæc virtus: quia nemo iudicatur temperans, aut intemperans, quod aspectu cælorum et figurarum, aut cantu, aut odoribus moderate aut immodice delectetur; nisi quatenus hæc incitant ad delectationes gustus, vel tactus. Restant igitur duorum sensuum voluptates, inter quas et illas hæc est differentia, quod hæ sint homini cum reliquis animalibus communes, reliquorum vero sensuum homini propriæ; solus enim homo delectatur coloribus, et vocibus, et odoribus; propter ipsam objectorum suavitatem, et perfectionem, absque ullo respectu ad voluptates tactus aut gustus: cætera vero animalia nequaquam, sed solum ut hæc imaginationem cibi aut commixtionis ingerunt, horumque simul cupiditatem excitant; non enim lupo delectatur figura ovis per se, aut balatu, aut odore; sed esca, et illis per accidens tantum, quatenus apprehensionem escæ vicinæ concitant. Sic aves cantu, non ob dulcedinem et proportionem, sed ut excitat ad conjunctionem: cuius signum est, quod non delectentur nisi voce sui generis; non enim passer cantu lusciniæ, sed suæ speciei gaudet, eique respondet.

Igitur temperantia primario versatur in voluptatibus gustus et tactus moderandis: hæ enim et vehementissimæ sunt, et a ratione longissime abducunt; sunt enim nobis cum bestiis communes, et ea parte, qua cum illis convenimus, percipiuntur: unde etiam maxime turpitudinem, et dedecus conjunctum habent, cum similes brutis faciant; quare maxime necessaria fuit virtus quæ has frænaret, et secundum rationis præscriptum, quæ humanarum actionum est mensura, ut homine sint dignæ, moderaretur. Secundario tamen etiam in oblectatione aliorum sensuum; nimirum quatenus horum objecta ad voluptatem tactus vel gustatus, mediante imaginatione, incitant: ejusdem enim virtutis est moderari finem, et ea quæ sunt ad finem.

Adverte tamen voluptatem gustatus, si per se et solitarie spectetur, non esse sufficientem materiam temperantiæ; tum quia hæc non magni aestimatur, neque magnam difficultatem affert, ut patet in iis, qui una probandi causa degustant, aut obsonia condiunt; tum quia non dicitur quis intemperans, Græcis ἀκόλαστος, quod in deliciis ciborum, et saporum oblectamenti excedat, si in aliis modum servet; sed delicatus et τρυφερός: tum quia præcipua oblectatio cibi et potius non est in gustando, sed in fruendo; quæ fruitio fit per contactum, maxime dum trajeciuntur per cesophagum. Unde helluo quidam, Philoxenus nomine, optabat sibi collum longius collo gruis, ut qui contactu cibi, quam gustatu magis delectaretur; ut Aristoteles L. 3. Ethic. c. 10. refert. Itaque hæc voluptas non sufficit, nisi accedat ea, quæ est per sensum tangendi. Verum quia etiam ex saporibus per sensum gustatus magna voluptas capitur, et propter hanc multi intemperanter edunt et bibunt, utramque ad materiam temperantiæ dicimus pertinere; maxime cum gustatio fiat per contactum, et Aristoteles dicat gustatum esse quemdam tactum.

117. Ex his patet 1^o. quæ sit *proxima* hujus virtutis materia, cui suam formam imprimit: cum enim circa delectabilia tactus, id est, esculenta, poculenta, et venerea versetur, ut in horum appetitione, delectatione et usu externo modum rationis servemus; sequitur proximam temperantiæ materiam esse horum appetitionem et delectationem: his enim anima affectibus immediate modum rationis imponit, eos frænando et coercendo, ne debitum modum excedant, ne vim menti inferant; sed tales sint, ut animum sui compotem, suæque spontis relinquunt. *Remotior*, est ipse externus usus: huic quoque modum imponit, faciendo ut talis sit, qualis temperantem virum decet. *Remotissima* autem, sunt ipsa objecta delectabilia.

Itaque officium temperantiæ est, moderate se habere in illis delectabilibus, non solum usu et actu externo, sed etiam affectibus internis; nimirum interius appetendo quantum, quale, ubi, quando, et quo modo oportet, et similiter exterius usurpando; sicut principale officium fortitudinis, fortiter agere, non solum exterius in opere, sed etiam interius in affectibus. Idem docet D. AUGUSTINUS L. de morib. Eccles. c. 19. *Munus ejus, temperantiæ, est in coercendis sedandisque cupiditatibus, quibus inhiamus in ea, quæ nos avertunt a legibus Dei, et a fructu bonitatis ejus, quod est beata vita.* Fusius et distinctius officium hujus virtutis expressit D. PROSPER (al. Jul. Pomerius) L. 3. de vita contemplat. c. 19. *Temperantia, inquit, temperantem facit, abstinentem, parcum, sobrium, moderatum, pudicum, tacitum, serium, verecundum; hæc virtus si in animo habitat, libidines frænât, affectus temperat, desideria sancta multiplicat, vitiosa castigat, omnia intra nos confusa ordinat, ordinata corroborat, cogitationes pravas removet, inserit sanctas, ignem libidinosæ voluptatis extinguit, animi teporem desiderio futuræ remunerationis accendit, mentem placida tranquillitate componit, et totam semper ab omni vitiorum tempestate defendit,* etc. ubi quasdam functiones tribuit temperantiæ, ut, cogitationes sanctas inserere, desideria sancta multiplicare, animi teporem accendere, mentem ab omni vitiorum tempestate defendere, non quod ipsa hos actus eliciat, sed quia est optima dispositio, hominem ad eos præparans, et expeditum reddens: facit enim mentem maxime idoneam rerum divinarum meditationi; ex meditatione autem et ex consideratione omnes reliquæ virtutes procedunt: nam omnia pene vitia et peccata proveniunt ex defectu considerationis, quod bona et mala pro meritis non expendantur; unde videmus, omnes pene Sanctos per abstinentiam ad virtutum culmen pervenisse, eamque esse cæterarum veluti fundamentum; unde Philo in libello de supplicum virtutibus: *Continentiam primum tanquam fundamentum in anima collocant, deinde cæteras virtutes superstruunt;* et Menander ipsam ἀρετῆς ταμείον, penum virtutis vocat; quia omnis virtus ex illa facile veluti ex quodam penu deprimitur.

Patet 2^o. Temperantiam merito dici virtutem *cardinalem* seu principalem; sicut enim fortitudo est virtus cardinalis, quia confirmat animum adversus ea, quæ inter omnia ardua contra rationem maxime absterrent; ita temperantia, quia coercet in iis, quæ inter omnia delectabilia maxime contra rationem alliciunt: sicut enim illa versatur in principali arduo et terribili, animum contra illud confirmando; ita hæc in principali delectabili, appetitum coercendo.

DUBITATIO III.

QUE SIT REGULA TEMPERANTIE STATUENDA.

D. Thom. quæst. 141. art. 6.

118. *Resp.* Hanc a sanctis Patribus et Scriptura sacra statui in ipsa rerum ad hanc vitam et hujus vitæ officia pertinentium necessitate. Ita D. AUGUSTINUS L. de moribus Ecclesiæ c. 21. *Habet, inquit, vir temperans, in hujusmodi rebus mortalibus et fluentibus, vitæ regulam, utroque Testamento firmatam; ut eorum nihil deligat, nihil per se appetendum putet; sed ad vitæ hujus atque officiorum necessitatem, quantum satis est usurpet, utentis modestia, non amantis affectu; ubi nota illud, vitæ et officiorum necessitatem.* HIERONYM. in c. 44. Ezech. explicans illud, *Et dices ad excasperantem: Caro similiter circumciditur, ut nequaquam faciamus terrena opera, quæ pro necessitate corporis facere compellimur; cibum capere, et potum et somnum, et uti vestibus: quæ tunc circumcidimus, si non ad delicias et ad luxuriam, et ad inertiam, sed ad necessitatem naturæ, et corporis istius sustentaculum cuncta faciamus; qui bibit vinum modicum propter stomachum et frequentes infirmitates, et odit ebrietatem, circumcidit carnem suam, etc.* Idem tradunt alii.

Hic tamen sub *necessitate* intelligunt etiam utilitatem et convenientiam: non enim illud solum dicitur necessarium vitæ humanæ, ejusque officii, sine quo vivere, aut ea officia obire non potes; sed etiam sine quo non potes commode et convenienter tuo statui, spectata conditione loci, personarum quibuscum vivis, et negotiorum occurrentium. Eodem pertinent multæ sententiæ Scripturarum, Ecclesiastici 29. *Initium vitæ hominis aqua et panis, et vestimentum, et domus protegens turpitudinem: initium, id est, caput et summa eorum, quæ vitæ hominis sunt necessaria.* Simili phrasi dictum est Psal. 110. *Initium sapientiæ timor Domini.* Et Psal. 118. *Principium verborum tuorum veritas.* 1. ad Cor. 7. *Hoc itaque dico, fratres: tempus breve est: reliquum est ut et qui habent uxores, tanquam non habentes sint..., et qui gaudent, tanquam non gaudentes..., et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur: præterit enim figura hujus mundi;* et 1. ad Tim. 6. *Habentes alimenta, et quibus tegamur, his contenti simus; et similia.*

Ut autem clarius quænam sit temperantiæ regula intelligatur,

119. Notandum est, aliam esse ejus regulam ut versatur in esculentis et poculentis; aliam ut in venereis: nam alius debet esse finis in horum usu, alius in illorum. Ut igitur circa cibum et potum versatur, ejus regula sumenda est ex fine, ob quem illa usurpantur: hic autem est bonæ corporis valetudo, et mentis ad suas functiones idonea dispositio; quorum utrumque indicavit D. AUGUSTINUS illis verbis, *ad vitæ et officiorum necessitatem;* ob hanc enim causam, et quatenus ad hunc finem expedit, secundum rectam rationem est edendum et bibendum; non amplius, nec alio modo, nisi forte in aliquo casu, ubi id necessarium foret ad finem majoris momenti, v. g. ad evadendam mortem, vel aliud grave malum; nec etiam minus,

nisi ob similem causam, vel nisi finis altior intendatur, v. g. satisfactio pro peccatis, etc. Ratio est, quia cibus et potus, et omnis voluptas quæ est in illis, a natura, seu a Deo naturæ conditore ordinata est ad corporis assiduas, quas calor efficit, ruinas sarcindas; illudque quantum ista mortalitas patitur, in sua integritate et vigore conservandum: corporis autem bona constitutio est propter animæ functiones; nam si *corpus corruptibile aggravat animam, et terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem;* multo magis id faciet si mala affectio accesserit; quare mensura in appetitione, delectatione et usu ciborum servanda, ex hoc fine sumenda est. Itaque qui plus comedit aut bibit, vel sæpius, vel alio modo, vel res alias quam congruit valetudini, aut mentis functionibus, non servat temperantiæ regulam. Idem dicendum de eo, qui solius voluptatis causa; ut ex testimonio D. AUGUSTINI colligitur: appetere enim vel facere aliquid solius voluptatis causa, etiamsi ea licita sit, non est opus virtutis, aut ulla laude dignum; quia hoc motivum non est per se honestum, sed inferioris ordinis; quale etiam in brutis locum habeat.

Qua vero parte versatur in re venerea, temperantiæ regula extra conjugium est, ab his penitus abstinere: in conjugio eatenus uti, quatenus expedit proli causa, non voluptatis; vide D. AUGUSTINUM L. de bono conjugali c. 6. et 7.

DUBITATIO III.

QUE VITIA TEMPERANTIE IN GENERE ADVERSENTUR.

D. Thom. quæst. 142.

120. *Respondeo.* Hæc duo ei adversari, *intemperantiam* et *stuporem*: hoc D. THOMAS vocat *insensibilitatem*; id enim sonat *ἀνασθησία*, quod latine usitatus *stupor* dicitur; *stupidi* enim dicuntur, qui parum sentiunt. Illud opponitur temperantiæ per excessum, hoc per defectum. *Stupor* enim est, cum quis ita aversatur et fugit delectationes tactus et gustus, ut nolit eis uti, quando, vel ubi, vel quantum secundum rectam rationem oportet: quod vitium rarum est; pauci enim in voluptatibus ideo peccant, quod parum eas expetant, ut Aristoteles ait L. 2. Ethic. c. 7. Erit peccatum mortiferum, si ex eo prætermittat quis id, ad quod sub peccato mortifero obligatur; quale est reddere debitum conjugii exigenti, sumere cibum ad vitam necessarium: veniale, si ad illud obligetur sub veniali. Vide Cajetanum verbo *Insensibilitas*. Denique peccatum erit, saltem veniale, quamvis non obligetur, si omnem delectationem gustatus fugere velit, tanquam per se malam et peccatum; nisi ignorantia excuset: quia hoc iudicium est contra rectam rationem, et ex falso fundamento procedit; est enim delectatio illa per se bonum indifferens; non autem bonum vel malum morale. Secus, si ob aliquam justam causam, v. g. causa castigandi corporis, satisfaciendi pro peccatis, etc. sicut multi Sanctorum fecere.

121. *Intemperantia* (Aristoteli *ἀκολασία*) est excessus in concupiscendis vel fruendis delectationibus gustus vel tactus: ut cum appetuntur, vel usur-

pantur, quando; vel tibi non oportet, vel plusquam oportet, vel non eo modo quo oportet, vel quas non oportet; estque peccatum mortiferum, aut veniale, pro conditione materiae in qua versatur.

Notandum autem 1°. hoc vitium inter omnia vitia humana esse maxime probrosum et infame; ut docet Aristoteles L. 3. Ethic. c. 12. Ratio est, tum quia homo vincitur a delectationibus infimis, quas cum brutis habet communes; et ita similis fit brutis, et in eorum ordinem redigitur, humanae naturae dignitate, et rationis luce veluti extincta; fit mancipium ventris et gulae, et rerum vilissimarum servus: *a quo enim quis victus est, hujus et servus efficitur*, Apostolo teste; tum quia in illis voluptatibus fruendis, nihil, sicut in aliis vitiis, elucet ingenii, nihil industriae, nihil generositatis, nihil quod hominem deceat; sed brutus sine ratione impetus, et caeca sui ad pastum et venerem abjectio, Dixi, *inter vitia humana*, id est, quae hominis naturae aliquo modo sunt conformia, quia magis probrosa sunt quae a natura humana prorsus abhorrent; ut delectari esca carnis humanae, vel brutorum aut masculorum concubitu: quae vitia Aristoteli L. 7. Ethic. c. 5. non sunt humana, sed ferina, vel morbosa; quia ex prava dispositione, et corrupta phantasia fit ut videantur delectabilia, a quibus natura alias maxime abhorret; et ideo sunt pejora quam simplex intemperantia: non tamen negat ea ad intemperantiam pertinere; sed potius vult in illis summam intemperantiam esse, ut quae modum humanum excedat.

Notandum 2°. idem vitium ab Aristotele L. 3. Ethic. c. 12. ad puerilia vitia referri, quia concupiscentia est similis puero; idque ob quatuor causas, quas ibi attingit. *Primo*, quia sicut puer impetu fertur ad ea, quae oblectant, absque rationis directione; ita concupiscentia. *Secundo*, puer si suo arbitrio permittatur, crescit in propria voluntate, magisque fit in dies rebellis, juxta illud Ecclesiastici 30. *Equus indonatus evadit durus, et filius remissus evadit praiceps*: concupiscentia, si suis motibus sinatur, augetur in dies, magisque fit rationi refractaria. *Tertio*, puer emendatur, si coerceatur: concupiscentia, si coerceatur et comprimatur, ad debitum honestatis modum perducitur. *Quarto*, puer debet vivere ex praescripto paedagogi; concupiscens animae facultas, ex imperio rationis.

DUBITATIO IV.

QUAE SINT PARTES TEMPERANTIAE.

D. Thom. quest. 143.

122. Divus THOMAS partes triplices statuit hujus virtutis, sicut supra fortitudinis; integrantes, subjectivas, et potentiales. *Integrantes* duas, *verecundiam* et *honestatem*: nam integrum officium temperantiae duabus partibus constat; fuga turpitudinis intemperantiae, et amore decoris temperantiae: ad fugam turpitudinis juvat verecundia: ad amorem decoris, honestas.

Ubi advertit, *verecundiam* non esse proprie virtutem, sed passionem; dici tamen late virtutem, quatenus laudabile est fugere turpia et probro digna, quod facit haec passio; est enim timor probri ex consideratione rei vel facti turpis seu probrosi. Itaque cum probrum fugiat, facit etiam ut vitemus ea

quae probro sunt digna; qualia maxime sunt peccata intemperantiae: et hac ratione juvat virtutem temperantiae, estque aliqualis ad eam dispositio.

Honestum in moralibus dupliciter accipitur: 1°. Generatim, et sic convenit omni operi virtutis: nam ratio honesti moralis consistit in conformitate cum judicio rectae rationis, tanquam regula operationis naturae rationalis, et cum ipsa natura rationali ut fundamento illius regulae. Haec autem conformitas rationem virtutis constituit in operibus humanis, ac proinde reperitur in omni actu virtutis; differt autem a ratione delectabilis, quae est in eodem opere, consideratione. Ratio enim delectabilis in eo sita est, quod aptum sit parere delectationem; ratio honesti, in conformitate cum judicio recto. Verum haec est causa et fundamentum illius in opere virtutis: quia delectatio sequitur ex eo, quod objectum sit conforme. Itaque honestum, cum sit conforme rationi, erit etiam delectabile rationali parti; sicut ea, quae sensibus sunt consentanea, sunt delectabilia parti sensitivae: omnis enim delectabilitas nascitur ex conformitate et consensione, vel cum ratione, vel cum sensu, vel cum natura, vel cum aliqua dispositione ingenua aut acquisita naturae sentientis, aut intelligentis.

2°. Capitur honestum stricte, pro eo in quo peculiariter elucet decor temperantiae; hic autem decor elucet: *Primo*, in operibus temperantiae: haec enim habent peculiarem pulchritudinem, quatenus excludunt ea, quae hominem maxime dedecorant; ut sunt voluptates brutorum. *Secundo*, in ipso habitu virtutis, quatenus ad opera temperantiae inclinatur. *Tertio*, in quadam inclinatione speciali, quam quidam habent ad castitatem et alia temperantiae opera: videntur enim quidam natura casti et sobrii. Si *primo* modo spectetur, est conditio quaedam operum temperantiae. Si *secundo* modo, sic potest dici pars temperantiae; quia reipsa non videtur distingui ab habitu, sed esse ipsemet habitus temperantiae inadaequate conceptus; quatenus nimirum inclinatur ad honestum sui generis: sicut enim sunt duo officia hujus virtutis, fugere turpia, et sectari honesta; ita etiam possunt duae ejus partes statui ut ad haec se extendit. Si *tertio* modo, sic etiam potest dici pars temperantiae, quia juvat ad sectandum temperantiae decus; sicut verecundia juvat ad fugiendam ejus turpitudinem. Vide D. THOMAM q. 145. art. 4. ubi satis breviter et obscure hanc rem expedit.

123. *Partes subjectivae*, seu species temperantiae, sunt *abstinentia*, *sobrietas*, *castitas*, et *pudicitia*: quod ex D. THOMA sic ostendi potest. Species enim virtutum, distinctionem accipiunt ex ordine ad diversa objecta vel materias; materia autem temperantiae sunt delectationes tactus, quarum duo sunt genera: quaedam enim pertinent ad alimentum, quod constat cibo et potu; et in his quoad cibum, est *abstinentia*, quoad potum, *sobrietas*. Aliae delectationes pertinent ad vim gignendi; quarum alia est principalis ex ipso actu conjunctionis; et circa hanc versatur *castitas*; aliae secundariae, ex osculis, tactibus, amplexibus: circa has est *pudicitia*.

Ex quibus patet, temperantiam, secundum D. THOMAM, non sic esse virtutem specialem, quasi sit species specialissima; (cum alias species sub se complectatur) sed quia non est communis, sicut quando significat communem virtutis conditionem; nec ad materiam alterius generis se extendit.

124. *Partes potentiales* temperantiæ sunt virtutes quædam secundariæ, quæ modum illum, quem temperantia servat in frænanda cupiditate circa maximas et principales voluptates, retinent circa materias secundarias. Itaque omnis virtus refrænans appetitum in aliquid inordinate tendentem, et efficiens in aliqua materia moderationem, potest dici pars temperantiæ, seu virtus ei adjuncta. Tribus autem modis potest fieri hæc moderatio: *Primo*, in motibus animi internis. *Secundo*, in motibus externis. *Tertio*, in rebus externis. Motus interni, quibus animam prosequitur aliquid, (præter concupiscentiam, quam moderatur temperantia) sunt tres. *Primus*, est motus voluntatis concitatæ impetu passionis: et hunc refrænât *continentia*; qua fit ut licet pars inferior patiat magnos impetus concupiscentiæ, superior tamen non vincatur. *Secundus*, est motus spei, tendentis inordinate in excellentiam aliquam: hunc refrænât *humilitas*. *Tertius*, est motus iræ tendens in vindictam: hunc coercet *mansuetudo*, cui affinis est *clementia*. Externa autem quæ moderatione indigent, sunt duo, motus externi, et cultus externus. Motus externos (sub quibus etiam verba intellige) temperat virtus quædam, quæ *modestia morum* dici potest. Cultum autem externum et omnem apparatus externum regit alia virtus, quam *modestiam cultus* vocare possumus. Itaque partes potentiales temperantiæ sunt *continentia*, *humilitas*, *mansuetudo*, *clementia*, et *modestia* duplex. Interdum tamen *modestia* accipitur generalius, ut contineat etiam humilitatem et studiositatem, ut patet ex D. THOMÆ q. 143. et 160. art. 2. ubi quatuor ponit species modestiæ.

CAPUT II.

DE SPECIEBUS TEMPERANTIÆ, ABSTINENTIA, SOBRIETATE, CASTITATE, PUDICITIA.

DUBITATIO I.

QUID SIT ABSTINENTIA.

D. Thom. quæst. 146.

125. Abstinentia in materia temperantiæ significat proprie alimentorum subtractionem, quæ major sit, quam ratio temperantiæ per se postulet; non enim qui temperate bis vescitur carnibus per diem, sumpto forte mane jentaculo, dicitur abstinere vel esse abstinens, sed temperans: unde proprie significat majorem quemdam et insigniorem virtutis temperantiæ, circa cibos versantis, actum, et hanc ipsam virtutem, qua parte ad talem actum se extendit: hoc modo passim accipitur a Patribus, qui de abstinentia loquuntur, et 2. Pet. 1. *Ministrate... in scientia abstinentiam*. Tamen D. THOMAS hoc loco accipit hoc nomen ut significet integram virtutem temperantiæ circa

cibos; quæ alioquin nomine specifico caret, et solet nomine communi temperantiæ appellari.

Abstinentia igitur hoc modo accepta, est virtus cupiditates et delectationes esulentorum inordinate refrænans, et in ipso usu debitam moderationem constituens. *Inordinatæ* autem illæ esse possunt, vel quia trahunt ad id quod est illicitum, v. g. ad vescendum cibo vetito, vel loco, aut tempore incongruo; vel ad nimiam quantitatem; vel ad modum indecorum; vel quia nimis sunt vehementes et importunæ, non sinentes hominem aliud quam de cibo et ventre cogitare. Hæc igitur omnia resecat et tollit virtus abstinentiæ; facit autem hoc eo modo, quo ratio et appetitus superior rationi conformis, appetitum inferiorem regere et coercere solet.

Debita moderatio in ipso usu requisita est, quæ valetudini et officiis mentis congruit; unde D. AUGUSTINUS L. 10. Confess. c. 31. n. 41. *Hoc me docuisti, ut quemadmodum medicamenta, sic alimenta sumpturus accedam*; vel certe quæ congruit castigationi corporis et carni subjugandæ spiritui, absque notabili valetudinis læsione: etsi enim delectationes ciborum non sint appetendæ aut usurpandæ, nisi quatenus valetudini corporis et idoneæ dispositioni mentis ad suas functiones obeundas congruit, (nisi forte in casu aliquo particulari, ob causam extrinsecam ratio aliud posecat); tamen hæc mensura non semper est servanda in illis subtrahendis: possunt enim occurrere circumstantiæ et justæ causæ, ob quas expediat abstinere etiam plus quam valetudini congruit, v. g. ut caro castigetur et spiritui subjiciatur, ut pro peccatis satisfiat, etc. etiamsi vires corporis minuantur; modo tamen non graviter brevi tempore valetudo frangatur, ita ut mens reddatur ad suas functiones ineptior: ea enim bona est corporis valetudo, quæ optime menti servit; nam corpus est propter animæ functiones.

Notandum tamen est, quando abstinentia est major, quam ratio temperantiæ per se postulat, non semper illam fieri ex affectu virtutis, quæ sit species temperantiæ; ac proinde nec esse semper actum talis speciei formaliter: si enim fiat tantum affectu placendi Deo, erit formaliter opus charitatis; si ut satisfacias pro peccatis, erit opus penitentiæ; si ut carnem subjicias spiritui, erit opus castitatis; hujus enim est frangere libidinem, ac motus carnis inde sequentes, et facere illam rationi parere: si autem quia congruit tibi ad hoc ut mens sit magis idonea ad suas functiones, sic erit proprie actus hujus virtutis. Ex cujuscumque tamen virtutis affectu procedat, semper dicetur actus temperantiæ et abstinentiæ; quia est actus virtutis in materia abstinentiæ.

Porro qui abstinentiæ sunt dediti, his duo vitia potissimum vitanda sunt, *impatientia* et *superbia*; ut eleganter docet D. GREGORIUS, 3. parte Pastoralis, admonit. 20. *Impatientia* quidem, quia abstinentiæ exsiccat corpus, humores accendit, et biliosos efficit. *Superbia* vero, quia magni aestimantur ab hominibus: est enim res vulgo ardua, foris apparens, et speciem eximie sanctitatis præ se ferens; vide plura hac de re loco notato, et apud D. AUGUSTINUM L. 10. Confess. cap. 30.